



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXI. Ab hæretica dæmon expellitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

XXI.
Ab heretica
dæmon expel-
latur.

Quantum sequenti prodigo gloriae vera religio , tantum accepit dedecoris Caluini hæresis. Editum eit anno 1627. Ostrogij Poloniæ vrbe , in luce totius populi : illic nobilem feminam , verum cum suis hæreticam inuaferat dæmon , huius indicia linguarum varietas , latinæ , germanicæ , Ruthenicæ ac similium , quibus interrogata respondebat , et si aliud nunquam didicislet præter maternum idioma ; ad hæc maximè occulta pandere , narrare quæ procul siebant , vires prodere supra feminam haud paulo maiores . itum ab hæreticis in consilium sèpius de illa ab hoste liberanda , sed eam prouinciam aggredi cum illorum auderet nemo , Societatis Patribus committi debere statuerunt , rogaruntque Rectorem Collegij vt eam susciperet : at is primum ex iis audire voluit , num extra dubitationem possideri eam à dæmone crederent ; idque magno omnes consensu fassi sunt ; quod autem qui omnium maxime instabat Rectori , Caluini esset tam infanè tenax , vt malle se profitetur in canem , aut porcum , quæm in paistam transformari ; hunc deinde adortus ; vos , inquit , quibus ritus Ecclesiæ superstitione sunt , & exorcismi deliria , quæ fit nunc illa requiratis fidene , an necessitate ? vestros accersite prædicantes , qui mero Dei verbo tantoperè tument suum huc Euangelium applicent quantum valent : adsint quoque Sacerdotes schismatici , experimini quid iij possint , ac tum demum nos adiutores succidaneos habetote ; id enim æquum est , non agnoscimodo qui sint potentiores dæmonibus , verum etiam qui inferiores . Ad prædicantes quod attinet , respondent hæretici , artem illos nescire curandi arreptitos exorcismis . Quæ res si patribus ex animi sententia cederet , habituros se Romanam fidem longè alio loco quam ante habuissent . Hinc domum subitur ad explorandum certius possellæ feminæ dæmonem , qui statim de facili compertus est , nam vt aqua lustrali , ex ritu Catholico eam Rector aspersit , & de reliquiis S. Ignatij , clam ei aliquid applicuit , distorqueri mox , tremere , exclamare se Ignatij ossibus cruciari . Quod autem Rectori hæreticorum sanatio , quæm energumenæ esset antiquior , mandat ab iis proferri Caluini institutiones , cum aliquot eius sectæ libris , & dæmoni obiici , quos ille contra quam audacter expectabant , mirificè gratos , & iucundos testari , excipere , dissuauiarí ; receptos vero ab Rectore , & inclusa latenter S. Ignatij effigie , denuo porrectos , furendo vñlandoque refugere , coactusque fateri quid in iis timeret ; quam tu , inquit , iis iniecisti imaginem S. Ignatij : quod ab hoste promptum ita confudit hæreticos , vt eorum vñus inuidia impotens , bellè vobis paistis , ait , cum diabolo conuenit , & eum ex pacto circumducitis quo lubet : mouit stolida , & væcors interpretatio cuiusdam ex Patribus ardorem , palamque compellans hæreticum , agite , inquit , conditionem æquam fero , precabor Deum , vt si quam profitemini doctrina vera est , in me transeat hic dæmon , & pro sua rabie cruciet ; sin è contrario , vera est , certaque Catholica , idem subeat in vos , Veri hostis , & vel vna hora vos torqueat . Excepta conditio meticuloso vniuersorum silentio , & ab eorum nemine

nemine admissa. Tantum ab iis Rectori supplicatum enixè, si quid ipse valeret ad liberandam infelicem; ne id illi negaret. Promittit Rector se facturum, atque in eam rem, ieunium tridui, largitionem in pauperes, flagellaciones, & alia pietatis officia Collegio indicit, Patre interim uno arreptitiam subinde reuidente, ad cuius aspectum efferari semper dæmon & furere; contra hæreticos adeuntes, urbane alacriterque accipere, nominareque illos catos, & amicos. Sub hoc porro temporis, quædam vi & vltro locutus est dæmon, minimè omittenda. 1. nempe Iesuitis Ostrogien-sibus nullos sibi esse inimiciores, seque id agere ut essent aliis exosi, ad eorum labores suo fructu priuandos. 2. dein semel ab se tentatum, ignem Collegio subdere, cœpisseque iam famulorum stationem corripere, sed restin-
dum prius quam possit illum occultare. 3. tentasse pariter patrum conclauia intrare, facturum quicquid valuerit mali, sed illinc à Maria & Ignatio repulsum. Venerat condictus celebri exorcismo dies, Virginis purgationi sa-
cer; locus Societatis templum, hæreticis diu frustra nitentibus, ut domi eorum priuatim haberetur: verum sectæ illorum, debebatur hic in publicum pudor, & nouum hoc Catholicæ fidei, potestatis summæ aduersus dæmo-
nes trophæum. Vincta mulier, multorum manibus in templum inducitur, statuitque ante aram, B. Virginis, & S. Ignatij memoriae positam, vbi ru-
gitu horrifico populum, qui confertissimus ad spectaculum aderat conser-
nauit. Vibrandis in hostem exorcismis, præmisit Rector breuem ad omnes allocutionem qua illis acerbum ob peccata dolorem commouerer, inde fletus omnium communis, piique affectos, diuersis multorum vocibus ex-
pressi. Compulsus dæmon effari, quis esset? cur eam feminam occupasset? diuque restitans, Ruthenum tandem se esse respondit; ab Ruthena saga in id corpus immisum, beneficio incantati fili quo sertum florem ligabatur, de more gentis à femina, capiti ornando impositum. Adauctus iterum efferre cuius esset præcipue post Deum virtute pellendus? multa fremens, ac frendens, denique Mariam, & Ignatium contemptim nominauit. Quare horas duas, exorcismis ardenter incumbitur coram S. Ignatij tabula, & cum Beatissima parente Virgine in open vocatur; cui ne qua fieret alicuius fla-
gitio mora, imperrandam gratiam inhibente, iterato populus admonetur de peccatorum venia serio petenda, iterandisque pro miserabili femina pre-
cibus. Quod factum à populo contentis vocibus cum esset, correptam vio-
lento impetu ex retinentium manibus, dæmon solo alludit, ac velut mortuam, sed penitus liberam, & sanam relinquit. Paulo post enim ab cir-
cumstantibus erecta, ante Augustissimum sacramentum perducitur, vbi cum vniuerso populo præ gudio lacrymans, eiurato Caluino, Catholicæ fidei nomen restituit.

Ioanna Clara ætatis annorum sex & quinquaginta Maioricæ vidua, post acerrimos oculorum dolores, alterum amisit, cui reparando dum medi-
orum adlaborant artes, paulatim alter extinguitur, ita ut nostrum in tem-
plum se conferens, excæcaretur prius, quam ad templi fores perueniret do-

XXII.

*Caca visum
recepit reli-
quias S. Ignatij.*

F F 3 munque